

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe


**Dissertatio Theologica De Messia Bethlehemaie Nascituro,
in qua inprimis Harmonia Mich. V,1 & Matth. II,6.
ostenditur**

**Osiander, Johann Rudolph
Camerarius, Philipp Gottfried**

Tubingae, 1722

VD18 10351760

[urn:nbn:de:bsz:31-130236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130236)



60 A 2691,1

EX
BIBLIOTHECA
ILLUSTRIS
CAROLI HESYCHEI.

66723

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
MESSIA
BETHLEHEMÆ
NASCITURO,

in qua imprimis
Harmonia Mich. V, 1. & Matth. II, 6. ostenditur.

^{Quam}
Assistente Divina gratia,
PRÆSIDE

JOHANNE RUDOLPHO
OSIANDRO,
S. Theol. D. ejusdemque P. P. Ord.

Publico Eruditorum Examini

subjiciet

PHILIPPUS GODOFREDUS CAMERARIUS,
Reuttlingsis,

S. Theol. Stud. in Ducali Stipendio.

ad diem *Decembr. Anno MDCCXXII.*

TUBINGÆ,

Typis JOSEPHI SIGMUNDI.

(1722)

21⁺

=

4

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE
MESSIA

BETHLEHEM

NASCITURO

AVCTORE

ALBERTO DUMAS

PRÆFATO

JOHANNI RUDOLPHO

OSIANDRO

S. Theol. D. ordinarius P. Ord.

Publ. in

1784

PHILIPPO GOTTFRIEDO CALERARIO

Publ. in

S. Theol. D. ordinarius

Publ. in

1784

Typ. Joh. Stenning

20



Textus Hebraeus Mich. V, 1.

וְאַתָּה בֵּית-לַחֶם אֶפְרַתָּה צְעִיר לְהוֹת בְּאֶלְפֵי יְהוּדָה
 וְאַתָּה לֵי רֵצֵן לְהוֹת מוֹשֵׁל בְּיִשְׂרָאֵל וּמִצְאָתָיו מִקֶּדֶם מִיָּמֵי עוֹלָם :

Græcus. Matth. 2, 6.

Καὶ σὺ Βηθλεὲμ γῆ Ἰούδα, ἡδαιώδης ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν
 Ἰούδα· ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν
 Ἰσραήλ.

Versio B. LUTHERI Mich. V, 1.

Und du Bethlehem Ephrata / die du klein bist unter den
 tausenden in Juda / Aus dir soll mir der kommen / der in
 Israel Herr sey / welches Ausgang von Anfang und von
 Ewigkeit her gewest ist.

Matth. 2, 6.

Und du Bethlehem im Jüdischen Lande / bist mit nichten
 die Kleineste unter den Fürsten Juda / dann aus dir soll mir
 kommen der Herzog / der über mein Volck Israel ein Herr sey.

Versio SEBASTIANI SCHMIDII Mich. V, 1.

Tu autem, ô Beth-lechem Ephrathæa : parum
 est, ut sis inter millenas Jehudæ : (*nam*) ex te Mihi

A 2

exibit,

exibit, qui sit Dominator in Iſraële, & cujus exitus (*sunt*) ab antiquo, a diebus æternitatis.

Matth. 2, 6.

Et tu Bethlehemum, terra Judæ, nequaquam minima es in Ducibus Judæ: Ex te enim exhibit Dux, qui pascet populum meum Iſraëlem.



Inter cœtera beneficia Dei Opt. Max., de quibus quotidie nobis cogitandum est, admiranda Nativitas Domini nostri Jesu Christi principem locum obtinet: digna profecto, quæ quotidie ab hominibus decantetur & prædicetur. Ideo inprimis operam dabimus, ut hoc tempore, quo undique templa & Cathedræ laudibus pro incarnatione Filii Dei resonabunt, mysterium nativitatis Dominicæ contemplemur. Etsi enim aliâs semper sint celebranda, & grata mente recolenda, summa hæc Dei immensâ ipsius misericordiâ per Filii incarnationem in nos collata beneficia: præcipue tamen illis ipsis diebus, qui memoriæ salvificæ ejus nativitatis à Majoribus nostris sunt consecrati, facere id convenit, ut memoria mirandi mysterii conservetur & celebretur. Miremur mysterium summæ *φιλανθρωπίας*, ac incomprehensibilis misericordiæ, qua Creator Cœli & Terræ carnem nostram assumere voluit, non rimemur: introspicere cupiamus, & si totum non capiamus, fateamur potius nostram ignorantiam, quam Dei negare velimus potentiam.

Oraculi hujus occasio luculentius ut pateſcat, integrum locum huc adſcribendum cenſeo. Nunc, (ait Propheta,) turmatim coito, ô Filia belli, obſidionem diſponens contra nos: virgâ percutiant in maxilla judicem Iſraëlis. At tu Bethlehem

Ephra-

Ephrata &c. Hac compellatione insultat Propheta Israëlīs hostibus, Assyriis & Babyloniis, atque horum turmæ opponit unicum Messiam seu Christum in Bethlehem nasciturum: inquitque fore, ut, quantumvis nunc Israelitas infestent, & indignè tractent, tamen aliquando per Christum sint cohibendi. Consolatur itaque Propheta perterritum & consternatum populum, subjungens Evangelicam hanc Prophetiam de Messia tristissimæ concioni priori de vastatione Regni Judaici, & excidio urbis Hierosolymorum, atque exilio Babylónico, hunc in modum quasi argumentatus: Promissus Messias certo venturus est, & nasciturus in Bethlehem E. tu Gens Judæa, cui à Deo promissus, ejusdem bonitate in hanc terram & locum, ubi nascetur & proditurus est Messias, reduceris.

Conciliabimus ante omnia verba Prophetæ, & Evangelistæ Matthæi. Prima apparens contrarietas hæc est. Apud Prophetam locus nativitatis vocatur Bethlehem Ephrata. *בֵּיתְלֵחֶם אֶפְרַתָּה* & in LXX. *καὶ σὺ Βηθλεὲμ δὲ ἐφραθὰ*. Apud Matthæum vero Bethlehem Juda. *καὶ σὺ Βηθλεὲμ γῆ Ἰούδα*. Diversitas hæc descriptionis non statim introducit aliquam contrarietatem. Nomen Ephrata (quod sive à singulari fertilitate, unde tertia litera fœmin. geminata, sive à Conditore, I. Paralip. IV. 4. accepit) discriminis causa hic est additum, ad discrimen alterius Bethlemæ, quæ sita erat in tribu Zabulonis, hæc autem in tribu Juda, ut cum Kimchio Rabbi Abarbanel notat. Fuit autem appellatio Ephratæ prior & antiquior, quam Bethlemæ, quemadmodum testatur Moises, Gen. XXXV. 19. Mortua est, inquit, Rahel & sepulta in Ephrata, quæ est Bethlehema. Utraque equidem appellatione oppidulum istud distinguebatur ab altera Bethlemem, quæ sita erat in tribu Zabulon; sed ab ea magis ut distingueretur, Sacerdotes pro Ephrata substituerunt hoc Epitheton *γῆ Ἰούδα*, utpote clarius, notiusque Herodi. Quod vero appellatur *γῆ* à Matthæo, id sic

per Synecdochen, quâ terræ portio venit nomine ipsius terræ, ut idem Evangelista cap. X. 15. loquitur. Fuit autem Bethlehem oppidum in tribu Juda, distans Hierosolymis duobus miliaribus germanicis versus meridiem, patria Davidis I. Sam. XXI. 1. qui typum gessit Christi, unde civitas Davidis appellatur, Luc. 11. 11. Illud quoque hîc notandum, Prophetam in compellendo oppido masculino genere usum fuisse, cum tamen urbium nomina sint generis fœminini. Nonnulli existimant, id ideo fieri, quod masculinum subintelligatur. Ad ארפי יהודה cum quibus Bethlehem comparatur, Prophetam respicere, verisimilius videtur. Bethlehem hebraice significat domum panis; repræsentat ergo Christum, qui mundi est panis & Manna de Cœlo descendens. Audi S. Gregor. homil. 8. in Evang. *Benè in Bethlehem nascitur Christus. Ipse est enim, qui ait, ego sum panis vivus, qui de cælo descendit.* Bethlehem ergo fuit Ephrata, id est, frugifera, & totius terræ horreum: quia ab ea totus orbis panem non septem annorum, uti Ægyptii à Joseph Gen. XLI. 36. & 54. sed vitæ æternæ, qui est Christus, accepit. Non natus fuit Hierosolymis, sed in exiguo oppido Bethlehem; quod ideo factum, ut ostenderet, se humilia hujus mundi eligere, & potentes secundum legem non incedentes pudefacere. Humiliemus igitur nos sub potenti ejus manu, ut ipse nos extollat opportuno tempore I. Petr. V. 6.

Altera apparens contrarietas hæc est. Quomodo Matthæus pro verbis Hebræis צעיר לרחוק דixerit εὐλαχίης ἐν. Quidam apud Ludovicum Capellum in Crit. Sacr. p. 447. & 494. cum nulla Interpretum expositio satis ipsi faceret, suspicatur, textum Ebræum esse corruptum, & transpositis literis habitisque insuper vocalibus restituendum לו צעיר לו אווית sit pro לו א minima neutiquam es. Verum rectè Pfeifferus judicat, hoc esse nodum secare, non solvere, commoda enim hoc modo Judæis nascetur occasio cavillandi, quasi N. T. autoritatem

toritatem aliter tueri nequeamus, quam ad ejusmodi κρησφύγη-
ra confugiendo, & textui Ebræo stigma falsitatis inurendo?
 Tolerabiliores itaque conciliationes videamus. Alii * existi-
 mant, Matthæum non citare verba Prophetæ ex sua mente,
 sed ex fermocinatione Scribarum, quod infeliciter facit Hie-
 ronymus, quum scribit: Puto, Matthæum voluisse redarguere
 Scribarum in Lectione Scripturarum negligentiam, quia nec
 in Ebræo neque in LXX. sis habetur. Secundum hos Mat-
 thæus historicum agens non tam probat, quid alii Scribæ nem-
 pe dixerint, quam illorum dicta fideliter commemorat tantum.
 Verum cum Scribæ à Christo nunquam sine reprehensi ob ver-
 borum ignorantiam & depravationem textus, sed rerum & de-
 pravationem sensus: illorum lapsu & culpa hanc mutationem
 factam esse, alii rectè negant. Quidam ** statuunt, verba Mi-
 cheæ legenda esse interrogativè, ac interrogationem hoc loco
 habere vim negandi. Num minima es? hoc est, nequaquam
 minima es, sicut Evangelista reddidit: ἰσαμῶς ἐλαχίστη εἶ. ¶ Enim
 interrogativum sæpe omitti omnibus notum est, uti Job. XL.
 20. Zach. VIII. 6. Non placet Bellarmino hæc explica-
 tio, imprimis ideo, quod neque in textu Ebræo, neque
 Chaldæo, neque Græco, nec Latino interrogationis signum ap-
 pareat. Sed Bellarmini ratio non est sufficiens. Esto nullum
 interpretem ¶ interrogativum hic subintellexisse, (quanquam
 in

* Thomas in Matth. Canus l. 2. locorum c. 14. Junius in Parall. S. p.
 16. &c.

** Ludovicus Vives in Cap. XXX. lib. XIX. de C. D. Joh. Drusus parte
 altera annotat. in N. T. Albertus, Jansenius in Matth. Ribera, H.
 Grotius, Ludovicus de Dieu, Calixtus, Glassius Phil. S. Tarnovius
 comment. in cap. V. Mich. Dannhæuerus Ideâ bon. Interpr. p. 93. Frid.
 Spanhem. & alii, quemadmodum & Codices Gothici Isidori anti-
 quissimi in Ecceles. Tolet. legerunt, notante Mariana, Et tu Bethle-
 hem Ephrata, numquid parvula es?

in opere Anglicano Syrus cum interrogatione transtulisse putetur) num ideo à nemine debet subaudiri? Celeberrimus Oxoniensis Academiae Professor, Edoardus Pocockius * notat, nomen צעיר Duce[m], Principem, Judicem, adeoque non parvum tantum, sed & magnum, excellentem significare. Duo quoque loca in medium adducuntur, ex quibus pateat, præter significationem illam, qua parvum notat, aliam eidem voci competere, quæ idem significet, ac magnum. Prior legitur Jer. XLIX. 4. Contrita est Moab, annunciate clamorem ejus צעירייה parvuli ejus, ut vertit Latinus. R. David Kimchi: Fieri potest, ut Scriptura Magnates vocarit nomine צעירייה contemptus causa. Chaldæus verò vertit: Domini illorum. Alter invenitur Zach. XIII. 7. Percute Pastorem, & dispergentur oves, & convertam manum meam אל הצעירים. Vulg. ad parvulos. R. Abarbanel: attenuantes populum meum. R. Salomo: Principes minores. Syrus: contra superiores. Arabæ contra pastores. LXX. *Ἰνὰ τὰς ποιμένας*. Concludit itaque Pocockius צעיר admittere contrarias significationes, & posse pro re nata verti & magnum & parvum, ut sensus apud Prophetam Micheam sit: Tu Bethlehem magna es, & major, quam ut sis in chiliadibus Judæ. confer Gottfridi Olearii Observat. Sacr. ad h. l. qui existimat, Ed. Pocockii sent. nondum satis esse probatam. Sunt quoque, ** qui dicunt, contradictionem tollendam, respectu diversorum temporum, quasi sc. minima fuerit, tempore Michæ, non verò Matthæi. Tempore Prophetæ fuisset parva, non autem tempore Evangelistæ, cum jam Christus in ea natus. Multi *** itaque conciliationem quærunt in

* Vid. not. miscell. quas Porta Mosis subjicit c. 2. conf. Hotting. hist. Creat. p. 16. item in Smegm. Orient. p. 73. & Job. Frischmuthi diss. de Harm. Mich. & Matth. c. 1.

** Vid. Spanhemii dub. Evangel. 45. p. 424.

*** Chrysostomus, Theophylactus, Lyranus, Corn. à Lapide, Bellarm.

in diversa Bethlehemæ consideratione. Attributo parvulæ aliter Micheas, aliter Matthæus utitur, qui ad verbum negandi addidit. Propheta ad externam speciem oppidi, quæ fuit humilis & contempta, respexit, cujus consideratione ferè minima omnium urbium Juda fuit. Eandem verò Matthæus nequaquam minimam appellat respectu ingentis gloriæ spiritualis, quam illi Majestas Messiae ibidem nascituri erat conciliatura, qua omnium aliorum oppidorum Juda splendorem superavit. Conciliatio hæc clarior erit, si loco *αιτιολογικῆς* particulæ γὰρ, quæ extat apud Evangelistam, subaudiatur apud Micheam particula adverbativa, sed tamen Pf. CXIX. 141. Sensus verborum hic esset: Quanquam tu Bethlehem obscurus, exiguus, & ignobilis vicus sis, collata vel cum Hierosolyma, vel cum cæteris Chiliadibus Juda: tamen coram me oppidum nequaquam minimum, sed omnium nobilissimum es, ex te enim egredietur sc. homo natus in terris, partus Virginis, Dominator Israel h. e. Filius Dei & promissus Messias. Quocirca Prudentius in Carmine de Epiphania ita eandem celebrat:

O sola magnarum urbium
Major Bethlehem, cui contigit
Ducem Salutis cœlitus
Incorporatum gignere.

Quem stella, quæ Solis rotam
Vincit decore ac lumine,
Venisse terris nunciat,
Cum carne terrestri Deum.

Qua cum sententia & expositio eorum * congruit, quæ & nobis in primis arridet, qui adjectivum צעיר parvus pro neutro

B ha-

Piscat. Sanctius, Lud. Capellus, Hunnius ad Matth. Grauerus in Mich. Caninius disq. ad loca obscura N. T. & alii.

* Andr. Osiandri lib. 1. Harm. Evang. c. 10. Joh. quoque Forsteri Lex. Ebr. p. 708. B. Luth. Tom. IV. Jen. fol. 558. hanc explicationem probat. Quod, inquit, ad Grammaticam attinet, non displicet, quod verbum

habent, & adverbialiter per parum interpretantur. Ebræi enim, quia carent neutro genere, ejus loco plerumque utuntur masculino vel foeminino, quod neutraliter positum adverbialiter exponunt; quum in Ebræo & Græco sit infinitivus *תֵּשֶׁה אִנְיָ*, hoc est, ut sis. Secundum hanc sententiam idem erit, sive dicatur, parum est, ut sis inter Principes Juda; q. d. hæc inter prærogativas tuas minima est, parum est, & tua dignitate multo inferius, ut sis in millibus Juda; sive dicatur, non es minima inter Principes Juda. Objiciunt tamen alii,* quod masculinum *צֶעִיר* & foem. *צַעִירָה* nunquam in Sacris significet parum, sed semper parvulum, vel ætate vel dignitate. Quoniam verò Ebræi neutro genere destituti promiscuè nunc masculino nunc foeminino uti solent e. g. Gen. II. 18. I. Reg. XII. 10. Mich. III. 9. satis id esse existimatur pro hujus interpretationis veritate, neque necessarium, ut ipsum hoc exemplum sæpius occurrat, aut de persona præcisè usurpetur. Objiciunt porrò, quod Ebræi in hac loquendi forma nunquam utantur *תֵּשֶׁה אִנְיָ* sed *תֵּשֶׁה עִמָּךְ*, ut Gen. XXX. 15. vel *נִקְרָה* Es. XLIX. 6. vel verbo *קָטַן* 2. Sam. VII. 19. Verum unius positio non est alterius exclusio, & quod si nolis exponere per adverbium, poteris exponere per neutrum, parvum est tibi, ut sis.*

Tertia

צֶעִיר exponitur adverbialiter pro parum, ut conveniat hæc sententia cum Evangelista, qui dicit, neutiquam es minima inter Principes Juda. Erit autem sic reddendus textus: parum est, ut sis inter millenos Juda. confer. Lud. de Dieu ad Matth. Schindl. Lex. Pentaglott. Bened. Arias Mont. num. 17. de communibus & familiaribus Ebr. Ling. idiotismis, quos Bibliis interlinearibus inseruit. Abr. Scultetus Exerc. Evang. lib. 1. c. 5. Joh. Lightfoot Hor. Hebr. ad Matth. Erasm. Schmid. Annot. in h. l. Hackspan. not. part. 2. Pfeiffer Dub. Vex. p. 957. &c.

* Angelus Caninius Andr. Osiandro, quem Lud. de Dieu tnetur. Huic quoque sententiæ se opponit Jansenius, Ribera & alii.

** Conf. Waltheri Harm. p. 734. seq. Lud. de Dieu append. ad Matth. tum animadvers. in Mich. V. Hacksp. diss. pec. tum. not. part. 2. p. 1004. & Syllog. p. 467. & Misc. p. 27. quamvis Frid. Spanhemius hanc

Tertia apparens contrarietas hæc est. Matthæus verba באלפי יהודה in millibus Juda vertit ἐν ἡγεμόσιον Ἰσραὴλ inter Duces Juda. Cornel. à Lap. Comment. ad Matth. II. τὸ ἄρῃ & Principem & mille notare ait. Sed asserto nullam facit fidem. Non ἄρῃ sed ἄρῃ significat Ducem. At enim cum neque LXX. neque Chald. aliam agnoverint lectionem, quam quæ hodie in textu extat, sensum potius, quam verba respexisse Matthæum apparet. Existimamus itaque, respectum eò haberi, quod populus Israëliticus distributus fuerit in Tribus, Exod. XVIII. 25. Jud. VI. 15. I. Sam. X. 19. ac singulæ tribus hujus populi distributæ fuerint in familias, quæ nominatæ fuerint ארופים in reg. ארופי millia seu Chiliades, Duces istarum Chiliadum dicti fuere ἡγέμονες, Chiliarchæ, sub quibus erant Chiliades, vocantur ארופים שרי. Liquido itaque patet, citra sensus diversitatem alterutra voce Evangelistam uti potuisse, adeoque perinde esse, sive chiliados, sive Ducis faceret mentionem.

Quarta apparens contrarietas. Apud Prophetam additur relativum ex te nascetur mihi, quod apud Matthæum, ut & in Syriaca paraphrasi prætermittitur. Particula ל pro ratione contextus vel pronomen possessivum vel demonstrativum est, & verbo additum voluntatem imperiumque dicentis innuit, per pleonasmum quoque additur, Num. XXII. 34. Sensui itaque apud Matthæum nihil decedit, quia apud Ebræos ejusmodi pronomina quandoque quasi abundant. Imo non opus est, ut dicamus, particulam ל redundare in textu, & ideo ab Evangelista omissam esse; cum enim apud Matthæum Deus Pater locutus minimè introducatur, ut apud Micheam, non mirum, si mutata persona loquente de loco nativitatis Messiae sciscitanti Herodi, omissa hac particula, responderint Legis periti. Et quia Messias ob nostram salutem in hunc mundum missus est, ideoque sine dubio particulam ל Deus indicare voluit,

B 2

sua

expositionem non omninò admittat, attamen adversus insectationem Riberae ipsam defendit. p. II, Dub. Evang. XLV. p. 422,

sua voluntate consilioque Ducem illum nasciturum esse. Sicque hæc particula magnam habet Emphasin, ut denotetur Dei voluntas, quæ hanc nativitatem decernat; Veritas, quæ impleat; sapientia, quæ disponat; potentia, quæ efficiat; justitia, quæ placetur ea & reconcilietur. Ex te scil. oppido MIHI egredietur, sive nascetur hic Dux, h. e. secundum meum destinatum consilium, gratiam & promissionem, jam olim in Paradiso lapsæ Adamo & Evæ datam, mittam ego Messiam, quem vos avidè expectatis, & is erit MIHI fidelis servus in redemptione ac salute generis humani. Et hæc omnia fient ad laudem & gloriam misericordiæ ac veritatis meæ. Cæterum in quibusdam Codicibus Græcis etiam hoc loco additum habetur ἐξελεύσεταιί μοι, quo pronomine, uti modo dictum, significatur, Dei providentia ac speciali ordinatione, uti etiam ad Dei gloriam & populi Israelitici salutem, Messiam ex Bethlehema proditurum. Constat verò ex aliis quoque Script. S. dictis, uti Gen. XVII. 6. XXXV. II. egredi interdum idem notare ac nasci, id quod contra Photin. except. ad Mich. cap. V. I. probè observandum.

Reliqua verba Ebraica לְיָמֵי מֶשִׁיחַ מִן הַיּוֹם הַזֶּה, Matthæus sic reddidit ἐκ σὺ γὰρ ἐξελεύσεται ἡ γένησθαι, ὅστις ποιμαίνει τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραὴλ. Certum est, non totidem verbis & κατὰ λέξιν sed ἀίνοιαν verba Micheæ V. I. reddidisse Matthæum II. 6. significaturum, cujusmodi Regimen Messicæ sit futurum, nempe non durum, sed lene & mite, quale vocabulo ποιμαίνειν in Sacris, ubi de Rege vel Principe sermo est, designari solet. Robertus Bellarminus lib. I. de Rom. Pontif. cap. 15. probaturus verbis, pasce oves meas, Joh. XXI. 16. Petro datam esse summam potestatem, verbis Micheæ abutitur. Arbitratur Cardinalis, verbum לְיָמֵי ab Evangelista verti per ποιμαίνειν tanquam per ἰσοδυναμικόν, atque inde colligit, dominium aliquod significari. Verum errat Bellarminus, dum existimat, Matthæum τὸ לְיָמֵי per ποιμαίνειν reddidisse. LXX. nunquam τὸ לְיָמֵי per ποιμαίνειν reddi-

reddiderunt, sed promittunt per *ἀρχειν, δεσπόζειν, κυριεύειν, δυναστεύειν, κρατείν, ἐξουσιάζειν*, adeoque neque hic quicquam causæ videmus, quam ob rem Matthæum sic vertisse dicamus. Participium *ἡγόμενον* reddidit Matthæus, verbum vero *ποιμανεῖ* per *ἐπεξήγησιν* addidit, ut ostendat, quod Propheta non agat de Politico Dominio, non de violento, sed suavi & jucundo dominio, quo ceu Pastor *ἀρχιποιμὴν* I. Petr. V. 4. curam habet animarum. Et cum de Doctoribus Ecclesiæ usurpatur *ποιμαίνειν*, regendi significationem minimè habet, Ecclesiæ enim Doctoribus & sibi ipsi Petrus Regimen & dominium denegavit. Petr. V. 3.

Locum Natalem seu Patriam Christi consideravimus; nunc descriptionem Personæ videbimus. Naturæ humanæ testimonium est egressus ex Bethlehema; Egredi enim Bethlehema est, Christum Jesum conceptum de Spiritu Sancto, nasci ex Maria Virgine, hominem verum, Luc. II. 11. Naturæ divinæ testimonium est egressus ejus inde à principio, à diebus seculi. Qui *λόγος*, licet definito tempore factus sit caro Joh. I. 14. tamen secundum divinitatem fuit in Principio apud Deum Patrem verus Deus Joh. I. 1. 2. Quamvis sit ex Patribus secundum carnem, tamen etiam est Deus super omnia benedictus in Secula Rom. IX. 5. Verba Prophetæ, quando penitius consideramus, divinam Christi naturam confirmant. Eorum primum est *יְהוָה יָצַדוּ* & egressiones ejus, hoc est, Scripturæ stylo natiuitas ejus, & juxta subjectam materiam hujus loci, cœlestis natiuitas, quia ab æterno est genitus, Ps. II. 7. qui est *ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ὁ μονογενης* Joh. III. 16. 18. *μονογενης* ἀπὸ πατρὸς Joh. I. 18. *ὁ υἱὸς ἰδίου* Rom. VIII. 32. *ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ζώντος* Matth. XVI. 16. cuius Deus est *πατὴρ ἰδίου* Joh. V. 18. Egredi enim in Scriptura sæpe significat nasci, sicut paulo ante Christus ex Bethlehem egressurus i. e. nasciturus dicitur. vid. præterea hæc loca Gen. XVII. 6. & XXV. 25. Jud. VIII. 30. Eccl. XI. 1. Secunda vox est *יְהוָה* cui adjungitur *עִימֵי*. Constructio vocabulorum fit per præfixum *ו*, quod quia in Scriptura

ra saepe notat ante, ita cum Tarnovio * hoc loco sic vertendum esse existimamus, vid. Prov. VIII. 23. Pf. XC. 2. & XCIII. 2. Ef. XLIII. 13. & Prov. VIII. 25. præfixum ט per לפני & טרם explicatur, per כתיב & ערר נא י. 24. 26. (cum nondum quicquam rerum creaturarum erat.) Quanquam nec versio illorum Interpretum, qui per a vel ab vertunt, adversariis faveat, quia, qui ab initio seculi seu mundi jam fuit, imò per quem omnia facta sunt, is æternus est. Recte hic Coccejus contra Judæos: *Sufficit, si probetur hinc, Christum fuisse antequam à Bethlehem nascendo oriretur, & quod fuerit omnibus diebus seculi, & sic in ipso creationis exordio: non sequitur, qui primo die mundi est, is initium extendi habet: sed multo magis, qui in ipso initio est, is ab æterno est, & initium suæ vitæ non habet. Certè quidem à hinc non notat post. Imò hac phrasi æternitas Dei describi solet ut Pf. XC. 2. מְעוֹלָם עַד עוֹלָם אֵתְנָה אֵל. Kimchius id explicat per טרם ante, & quare hic non eodem modo טרם ante dies seculi interpretatur? Locus ex Prov. VIII. & seq. citatus probat æternam Σοφία & Ἐπιστήμη Filii Dei, qui est Sapia, cui competit Regnum in Omnia. Nos itaque per (ante) vertimus & sic colligimus: Cujus nativitas est ante omne principium, & ante dies seculi, ille est æternus Deus. Sed Christi nativitas ex Patre est talis. E. Major probatur ex locis Pf. XC. 2. Ef. XLIII. 10. ubi solus Deus dicitur proprie æternus, primus & novissimus. Minor ex præsentate loco, add. Prov. VIII. 23. Pf. CII. 27. 28. Ebr. I. 10. 199. Phrasis enim a diebus seculi hoc loco idem, quod ante secula seu ante mundum conditum significat, quam Paulus, licet in alia sententia, reddidit ante tempora secularia h. e. antequam ceperunt tempora, seu ante exordium mundi & creaturarum 2. Tim. I. 9. Tit. I. 2. Testimonia hujus æternæ generationis habemus Pf. II. 7. Ego hodie genui te, h. e. ab omni æternitate*

* Confer Viri hujus Cel. Comment. in Micheam, in primis Exercit. Bibl. edit. 2. p. 39. 40. 41. 42. Glassii Phil. sacr. lib. 4. tract. 1. observat. 4. p. 619. 620, Bohlium in Disp. 7. pro formali sensu eruendo. th. 45.

ate Prov. VIII. 22. Joh. I. 1. Joh. VIII. 58. Objiciunt quidem Photiniani, quia hic nulla fiat mentio æternitatis, sed tantum dierum, ideo divinitatem Christi ex hoc loco non posse probari. Sed ἀνθρώπου παθῶς loquitur Scriptura. Ante tempus & in æternitate dies & tempus quasi concipimus, quia aliter concipere haud possumus. Sic etiam ante & tunc modò φυσικῶς pro tempore vero, modò ὑπερφυσικῶς pro tempore imaginario, quod αἰών propriè dicitur, accipiuntur in Scriptura. conf. Rom. XVI. 25. Tit. I. 2. Eph. I. 4. 2. Tim. I. 9. Eph. III. 9. Colofs. I. 26. I. Petr. I. 20. à diebus æternitatis tantum sonat, quasi diceret Propheta, ab omni æternitate. Est Catechresis: æternitas enim proprie cum sit duratio constans, indivisibilis, tota simul, ideoque ab intrinseco carens successione, principio & fine, idcirco non dividitur per dies, menses & annos, qui illi successive coëxistunt, hinc ab hominibus, qui omnia sua mensurant per differentias sui temporis, dantur æternitati dies, menses & anni. Nec valorem habet, quando dicunt, tantum dici decretum de Christo incarnando esse æternum, verum relativum se refert ad præcedens substantivum מוֹשֶׁל, præterea in S. Lireris egressus vel exortus nupiam significat decretum de alicujus nativitate. Agnoscamus igitur potius Salvatorem nostrum Deum & hominem in una persona, & sæpe multumque ac reverenter consideremus testimonia fidem confirmantia de utraque natura, ut debitam Christo gloriam tribuamus. Reverenter etiam cogitemus, quanta res sit, quod æternus Pater filium in mundum mittat, & quod Filius Dei adeo sese demiserit, ut massam fragilis naturæ nostræ unione personali assumat. Ideo ergo Christus natus est tempori, ut nos vivamus æternitati, ideo egressus est à diebus æternitatis ad dies temporis, ut nos à tempore regrederemur ad dies æternitatis. Sapienter S. Gregorius lib. 6. epist. 190. *Si bona, ait, querimus, illa diligamus, quæ sine fine habebimus.*

bebimus. O æternitas quanta es! quam immensa! quam pretiosa! quam beata! & tamen quam raro versaris in mentibus hominum! quam pauci te triumque pondus æstimant! nulli te penetrant, pauci ponderant!

Denique ad descriptionem Officii Messia accedimus. Quod novo titulo *הַשֵּׁמֶט* h. e. Dominatoris exprimitur. LXX. ἀρχοντα vertunt, Matthæus habet ἡγεμόνης, Syrus reddidit Rex, Arabs Dux, Gubernator. Lutherus, *der in Israel Herr sey*. Videlicet, quod Dominus & Caput Ecclesie futurus, eamque à peccato, morte, diabolo, inferno liberaturus, sicut ipse Messias inquit Joh. VIII. Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis. Per Israel non tantum intelligitur Israel secundum carnem, sed spiritualis Israel h. e. tota Ecclesia credentium in Christum, ex omnibus Gentibus, per Ministerium Christi & Apostolorum in unitatem fidei collecta. Ef. XLIX. 6. Complectitur verò Domini seu Dominatoris Israelis titulus non politica sed spiritualia beneficia omnia. Nam sine hoc gubernatore mentis, voluntatis & cordis, homines nihil sunt aliud, quam errantes oviculæ & vagantes in deserto, ubi facile à Diabolo impulsì impingunt & ruunt vel in errores vel in atrocìa scelera. Qualis Dominator futurus esset Messias declaratur significantissima metaphora, ὅστις ποιμανῆ τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραήλ. Indicatur verò tam voce *רָעָה* quam voce *ποιμαίνειν* regendi modus, quo usus esset Dux; Christum nempe futurum Pastorem nostrum Joh. X. 14. & significatur simul officium ejus Regium, Propheticum & Sacerdotale. Quia enim Reges debent esse populorum Pastores, uti Homerus dicit *ποιμὸς λαῶν*, ita non ut mercenarius lupis relinquit oves, sed ut bonus Pastor eas tuetur. Joh. X. 12. 13. 14. 28. Propheticum munus obit instar Pastoris, pascit enim Ecclesiam suam verbo Evangelii Joh. X. 27. Sacerdotem se præstat pastoris officium faciendo, quoniam animam suam posuit pro ovibus, Joh. X. 12. 15.

Hanc nostram interpretationem de Patria, Persona

sona & officio Messiae confirmat testimonium Jonathanis Paraphrastæ Chaldæi: * præter Chaldæum Paraphrasten exponunt locum de Messia Rabbi Salomon**, & Kimchi***, R. Abarbanel****, R. Isaac Ben Abraham. R. Eliezer &c. Huc accedit communis Judæorum, qui Christo nato vixerunt, sententia Matth. II. 5. 6. Joh. VII. 41. 42. Denique ad confirmandam fidem nostram, qui discipulos Christi nos esse profiteamur, plurimum ponderis habent narrationes Evangelistarum, Matth. II. 5. 6. Luc. II. 4. seq. Messiam itaque solum & nullum alium intelligi fatentur Rabbinæ & Chaldæus Interpres addita voce מְשִׁיחַ. In eo tamen conveniunt Rabbinæ, quod Messiam non aliter ex Bethlehemo oriturum dicunt, quam quod (secluso loco natiuitatis ipsius actualis) ex Davidis, Bethlehemi nati posteris sit nasciturus. Sic enim R. Lipmannus ***** & R. Salomo ***** mentem explicant. Verum neque de Davide neque de Familia in textu est sermo, sed ipso loco natiuitatis Messiae, quem Herodi sci-

C

sci-

* Jonathan Paraphrastes Chaldæus vers. hunc ita reddidit: Et Tu Bethlehem Ephrata, quæ minima fuisti, adeo ut computata fueris inter millia domus Juda, ex te MIHI prodibit Messias Christus, ut sit dominium exercens in Israel, cujus nomen dictum est ab æternitate, à diebus seculi, vid. Galat. de arc. I. 4. c. 13.

** R. Salomon commentatur hunc in modum: Ex te mihi egredietur Messias Filius David. conf. Galat. cit. I.

*** R. David Kimchi in Comment. ad h. l. sic explicat: Et si tu parva sis in millibus Juda, egredietur (tamen) ex te Judex, qui Israeli cum Imperio & potestate præsit, nempe Rex Messias.

**** Licet oppidum hoc ambitu sit exiguum & incolæ ipsius præ reliquarum urbium civibus nihil habeant peculiare, nihilominus ex te mihi egredietur, qui dominetur Israël, Rex nempe Messias.

***** Lipmann ad h. l. omnia hæc hæctenus non sunt impleta, sed intelligenda de Messia, qui est (oriturus) e semine Davidis, nati Bethlehemi.

***** R. Salomo: Dicitur & Tu Bethlehem Ephrata, quia David inde ortus est, dictum enim (1. Reg. XVII. 58.) filius servi tui Isai, Bethlehemitæ.

scitanti Judæi indicarunt, Matth. II. 6. add. Joh. 7. 42. H. Grotius* dictum hoc palmarium de Zorobabele explicat. Quam glossam non possumus non reprobare. Nullum enim vestigium de Zorobabele est in textu. Et toto cælo distant, nasci ex alicujus Bethlehemitæ familia, & egredi vel nasci ex Bethlehem; fatetur enim ipse Grotius: egredietur ex Bethlehem, idem esse, quod nascetur, quia sic נָצַי sumitur Gen. XXV. 25. & XVII. 6. Ef. XI. 1. Et Zorobabel intelligi non potuit, cum non fuit natus Bethlehemi, sed in captivitate Babylonica, nec ullus alius Liberatores post Davidem inde exivit. Denique de tali Dominatore loquitur Micha, qui duplicem nativitatem habeat, qui præter egressum è Bethlehem futurum, ab initio, à diebus æternitatis est, h. e. nativitatem habuit æternam. Egressus verò non originem vel prosopiam, sed nativitatem notat Gen. X. 14. XV. 4. c. XVII. 6. c. XXV. 26. c. XXXV. 11. neque usquam Ebræis familia dicitur מְצֻצָה sed vel בֵּית מִשְׁפַּחָה vel תּוֹלְדוֹת vel denique שְׁבֵטִים, illud verò de nativitate adhibetur. Voces illæ עוֹרָם & קֶרֶם seorsim acceptæ de tempore quandoque occurrunt, quod non negamus: conjunctæ tamen, uti hoc loco, de æternitate accipi debent, imprimis etiam ideo, quoniam exitus exitui, generatio generationi, exitus nimirum è Bethlehem temporalis exitui æterno, generatio temporaria æternæ contradistinguitur. Ostendat Judæus locum, ubi Creaturæ in Sacris geminata hæc locutio tribuatur. Sanè præterquam quod phrasis ipsa hic & usus Scripturæ militat pro nostra interpretatione, scopus quoque Prophetæ eam poscit, qui est, Messia personam extollere. Nec negligendus est locus parallelus Mich. IV. 7. qui pariter significatum æternitatis determinare & omnem difficultatem tollere potest, vi enim parallelismi hic Dominator simul Deus est. Præterea alia quoque vaticinia de Messia cum hoc dicto apprime conspirant ratione naturarum, loci, familiaræ, 1. Sam. VII. Ef. VII. & IX. Jer. XXXIII. 15. 16. Quod itaque hæc verba de æterna Filii Dei generatione ex essentia Patris sint intelligenda, suadet sensus textus: Egit Micheas de temporali nativitate Christi: jam probare vult, quod præter illam Christus aliam ante principium & dies seculi egressionem sive nativitatem agnoscat, & hanc quidem propter æternam à Deo suo Patre generationem, add. loc. Pf. II. 7. Quisnam porro Dominator ille sit, patet ex v. 4. Et stabit & pascet in fortitudine Domini, in sublimi-

* Vid. Comment. in h. l. natus ex Bethlehemo Zorobabel rectè dicitur, quod ex Familia Davidis esset, quæ orta Bethlehemo. Porro: Origo ipsi (Zorobabeli) ab olim à temporibus longis; id est, originem trahit à domo illustri antiquitus, & per quingentos annos Regnatrice.

limitate nominis Domini Dei sui, & convertentur, quia tunc magnificabitur usque ad terminos terræ. Magnificandus dicitur ad terminos terræ; cui verò ex Bethlehem procedenti id aptari potest, præterquam Messiaæ nostror * Merito igitur B. Luthero Tom. IV. Lat. Jen. fol. 559. ad stipulamur, locum hunc de generatione illa æterna, & ineffabili interpretanti. Ad perfectionem & excellentiam denotandam pluralem numerum referimus, quâ vocis pluralis usurpatione perfectissima & eminentissima nativitas describitur. conf. Tarnov. Exerc. Bibl. p. 99. qui plura exempla collegit, ubi ejusmodi auxesis numero illo denotari solet. Id quidem non negamus עולם סימי quandoque in Sacris non denotare æternitatem, sed tempus longum ab ante, uti loquitur Glass. Phil. S. L. IV. p. 661. hîc tamen ubi res ipsa & substrata materia exigit, æternitatem notat, & rectè dicit Glassius, ante hos dies seculi quod esse dicitur, æternum Scripturæ sensu esse. Consimilem æternitatis descriptionem deprehendimus Prov. VIII. 22. seq. Ubi Sapientia Personalis, de qua Matth. XI. 19. 1. Cor. I. 24. sic loquitur: קדם מפעליו מאז קינני ראשית דרכו possedit me initio viarum suarum, ante opera sua, ex tunc h. e. ut Kimchi ר' מן Pf. XCIII. 2. explicat קדם העולם ante mundum, Cum igitur ejusmodi periphrases adhiberi soleant in Scripturis, satis graves causæ sunt, cur B. Lutherus dixerit, his verbis notari Messiaæ æternam generationem. Et huc respexit Christus Joh. VIII. 58. antequam Abraham fieret, ego sum. Colligimus ex hoc loco, verissimas esse & firmissimas promissiones Dei, quia Messias natus in Bethlehem, certissimam & divinam esse Scripturam sacram ob harmoniam prædictionis & impletionis. Inprimis vero discimus, Jesum esse Christum, seu verum Messiam, & promissum mundi Servatorem, quia natus est Bethlehæ juxta vaticinium Micheæ V. 1. tale enim Subjectum hîc describitur, ex cujus ortu in signe decus accessurum esset Bethlehemo, cujus egressus duplex sit, alter temporarius, æternus alter, cujus exhibitionem insecutura esset gentium conversio, & qui magnificandus sit ad terminos terræ. ** Hunc Messiam (1.) ex Natura humana & divina constare, (2.) illamque accepisse ex tribu Juda, familia Davidis, Virgine Maria Ef. VII. 14. (3.) Bethlehemi nascendum esse. (4.) unam personam esse. (5.) Regem & Pastorem esse, qui doceat, defendat vitamque tradat (6.) in humilitate & vilitate externa venturum, & tamen divina virtute pasturum esse. Hunc itaque Messiam esse Jesum Mariae Filium, dum omnia in ipsum quadrent. Judæi à Pseudo Messis non fuissent toties

C 2


tam

* Vid. Cramer, in class. 3. Scholæ Proph. in explicat. vatic. 2. p. 5. 6. Calixt. in hist. Mag. p. 29. & Calov, in Comment. in Mich. ad h. l. Frischm. Dissert. quadam de nativitate Christi ex Mich. V. 1. Winckelm, in h. l. & Lemmich. in vindic. incarnati Messiaæ argum. p. 53.

** conf. Reverendiss. Canc. D. Pfaffii Not. Exeget. in Evang. Matth. p. 68. 69.

tam turpiter decepti, si attentius expendissent ex vaticinio Micheæ hanc circumstantiam, quod Bethlehema nasci deberet verus Messias, unde facile potuissent colligere, impostorum istorum neminem potuisse esse verum Messiam, siquidem nemo ipsorum Bethlehemita fuit. Certè ad convincendos Judæos, qui alium Messiam expectant, multum confert hæc nativitatæ circumstantia. Quia enim Bethlehem aperte monstratur, & Christus natus est Bethlehema, & hodie nemo in oppido Bethlehem nasci potest, quod jam pridem à Romanis est eversum; sequitur, exhibitum esse Messiam, eumque verè esse Jesum Christum, à Judæis verò frustra alium expectari Messiam. Nec in quemquam alium quadrat isthæc loci circumstantia, conjuncta cum aliis circumstantiis de Messia per Prophetas prædictis. * Ex ipsis Judæis non defunt, qui veritati perhibent testimonium. R. Ganz in Zemach. part. II, hæc scripta reliquit: Jesus Nazarenus natus est in Bethlehem Juda, prope Hierosolyma, anno post mundum conditum milleesimo septingentesimo, sexagesimo primo, qui Cæsaris Augusti quadagesimus & secundus. Atque secundum hunc computum incidit ipsius nativitas in tempora R. Simeonis (forfan illius, de quo Luc. II. 25.) filii Hillelis & R. Jochanan, filii Saccæi. Objicit R. Lipmannus, sub ipsius nativitate nihil memorabile accidisse, id eatenus admittitur, quatenus id ad Regni terreni splendorem requiritur. Ipso Abarbanele teste ad loc. Ef. XI. 1. familia Messia comparatur cum arbore excisa. Quem igitur splendorem nativitatæ Messia desiderat R. Lipmannus? Ortus enim fuit abjectus & tenuis, licet verò res sic se habeat, annunciabatur nativitas ab Archangelo, stellæ apparitio, Magorum adoratio satis testantur de splendore hujus nativitatæ. Principes Sacerdotum & Scribæ, ab Herode convocati pariter externum desiderarunt splendorem: Scripta Prophetica habuerunt, evolverunt, legerunt; inde Bethlehema nasciturum sciverunt: hoc confessi sunt, aliosque docuerunt: ipsi tamen non abierunt Bethlehema, nec illic quæsierunt. Tales sunt plurimi, cum Doctores, qui concionantes aliis reprobi ipsi fiunt 1. Cor. IX, 27. tum etiam Verbi Auditores, qui quod audiunt, factò & vita non exprimunt. Non enim sufficit, non beat historica fides, historica Christi cognitio. Crede Christum tibi natum esse, inque ejus meritum firma fiducia recumbe. Imitare humilitatem ejus. Servator tuus sessurus in Cælis ad dextram Dei Patris prius in præsepio Bethlehemitico latuit abjectus & contemptus, Phil. II. 6. seq. Sic tu ambiens ignominiam, fugiensque & spernens gloriam, impensius ac locupletius honoraberis: Rom. VIII. 17, Via enim ad gloriam, est fuga gloriæ.

* Vid. Summe Rever. D. Hoffmanni Synopsis Theol. p. 100, 101.



I, A

